


P. 27.


EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.


III A 127.


SIGNAT. CLVCCCXIII.

*Christi Jesu
Mundo liberator.*









JOHAN-GEORGI GROSSI
S. Theol. D.

DE METHODO
CONCIONANDI:

Brevis,
Ad studiosam Juventutem,
Commonefactio.



BASILEÆ,
Typis JOAN. JACOBI GENATHI.
1629.

THE MATHOD
CONCERNING

CONCERNING

THE MATHOD
CONCERNING





METHODUS I.

HXCERPATUR, è
Textu, Thesis, hu-
jusque explicatio in
tres dividatur partes: quarum

Primâ subjectum declaretur.

Secundâ prædicatû exponatur.

Tertiâ argumētum unum, aut
alterum, ex Textu depromatur,
ad confirmandam Thesin illâ.

U s u s autem in διδασκαλία,
ἐλέγχῳ, ἐπανορθώσει, παιδείᾳ, πα-
ρακλήσει, ostendendus, conclu-
sionis locum teneat.

EXEMPLUM.

Sit explicādus ille locus Luc.
24. v. 32. *Nōne cor nostrū ardebat
in nobis, dum loqueretur nobis in viâ,
& quū adaperiret nobis Scripturas?*

4 DE METHODO

I. Hęc inde excerpatur Thesis: *Auditores Verbi Dei sunt beati.*

II. Ad eam rectè tractādā:

1. Explicetur *subjectum*, & ostendatur quinam sint veri auditores Verbi: *Matth. 7. v. 24. & c. Luc. 8. v. 12-15. Jac. 1. v. 22, 23.*

2. *Predicatum* exponatur, Quid nimirum hęc sit, *Beatum esse*, nempe

Et prosperis uti successibus, circa honesta vocationis negotia: Psalm. 1. v. 1, 2, 3.

Et felicem sentire calamitatum eventum: Rom. 8. v. 28.

Et gustum cælestis beatitudinis perferentiscere, hoc in seculo, aliquem: 2. Cor. 2. v. 15, 16.

3. *Argumentū* ex Textu peratur geminū, quo ipso probeatur, *Veros Verbi divini auditores beatos esse*: quia videlicet Verbo Dei rectè percepto, redduntur

Tum

CONCIONANDI. §

Tum meliores, quatenus corda ipsorum ardere in ipsis incipiunt: nempe quoad ipsum & pietatis studium, & vitæ æternæ gustum.

Tum doctiores: dum adaperiuntur ipsis Scripturæ, quibus oculi mentis illuminantur, ut homo & Deum rectè agnoscat, & semetipsum.

III. Usus, dictum in modū, ostendatur Conclusionis loco: nempe

1. In διδασκαλία. Verbi divini longe major est efficacia, quàm humani: Rom. 1. v. 16. Hebr. 4. v. 12.

2. In ἐλέγχω. Turpiter errant homines fanatici, qui publicum damnant exercitium, quo & Verbum Dei tractatur, & Sacramenta administrari solent, divinumque invocatur Nomen.

6 DE METHODO

3. In ἐπανορθώσει. Peccant interdum pii quidam, dum circa Verbum Dei audiendum se-gniores sunt. *Joh. 20. v. 27. Hebr. 10. v. 25.*

4. In παιδείᾳ. Nos igitur exemplo edocti alieno, Verbum Dei audiamus frequenter, dili-genter. *Jesa. 2. v. 3.*

5. In παρακλήσει. Sentiemus haud exiguum inde fructū, quo-ad consolandos cūm *alios*, tum *nosmet-ipsos*. *Psal. 23. v. 4. & 119. v. 92. Rom. 15. 4.*

Methodus II.

POST exordium speciale, seu à textus commenda-tione, seu ab ejusdem, cum an-ecedentibus, cohærentiâ, seu aliunde petitum, instituat^{ur} partitio, tribus constans mem-bris, quorum

Pri-

CONCIONANDI. 7

Primum, est vindicatio textus à corruptelâ, seu depravatione hostium veritatis.

Secundum, verus ejusdem sensus.

Tertium, usus per διδασκαλίαν monstrandus, ἔλεγχον, ἐπανόρθωσιν, παιδείαν, & παράκλησιν.

Conclusio brevi constet repetitione dictarum trium partium, dictique usus præcipui inculcatione seriâ.

EXEMPLUM.

Sit explicandus sequens, Joh. 3. v. 5. extans locus: *Amen amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus ex aquâ & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.*

Quis illud non magnifacere-
ret consilium, quo ipso via no-
bis ad æternam monstratur vi-
tam, beatusque ad regnum Dei
cœleste, introitus? Hunc verò

*Exor-
dium.*

8 DE METHODO
ipsum Christus præfenti fideliter ostendit textu.

Partitio.

Quem quidem ipsum salutariter ut nunc perpendamus,

1. A sinistra aliorum *vincabimus* ipsum interpretatione.

2. Genuinum ejusdem considerabimus *sensum*.

3. *Usum* denique monstraturi salutarem, seu applicationem verè-practicam.

Pars I.

Ante omnia notandum, eos omnes præfenti perperam abuti textu, quotquot inde colligunt, externum aquæ Baptismum, simpliciter & absq; omni exceptione, ad salutem æternam necessarium esse.

Haud verò sic sinistrè præfentia Christi interpretarentur verba, tritum illud siquidem rectè intelligerent: *Contemptus Sacramenti damnat; non privatio.*

Ut

CONCIONANDI. 9

Ut autem huncce nos re- Pars II.
etiùs accipiamus locum,

I. Summatim tenendum est, *Sūma.*
Christum hīc informare Nico-
demum, de ipsā regenerationis
spiritualis necessitate, quam
priùs sinistrè interpretabatur
Nicodemus, v.3,4. suprà.

II. Sequentes, circa regene- *Circū-*
rationem isthanc spiritualem, *stantia.*
considerentur circumstantiæ.

1. Quid'nam ea sit, nempe *Defini-*
spiritualis quēdam hominis re- *tio.*
novatio, quā-ipsā, ejus

Tum *mens* illuminatur
cognitione Dei salvificā. *Eph.1.*
v.17. &c. Joh.17.v.3.

Tum *voluntas* flectitur,
ad obsequium Deo debitum,
per veram sanctitatem & justiti-
am: *Eph.4.v.22. &c.1. Theß.5.v.22,*
23. Rom.12.v.1,2.

2. Quis'nam beneficii hu- *Author.*

a s.

IO DE METHODO
jus author sit, nempe Spiritus
Sanctus: *Tit. 3. v. 5, 6.*

Signū.

3. Quónam externo illud-
ipsum nobis obsignetur signo,
ipso videlicet baptismo aquæ:
quæ ipsa ut corporis sordes ab-
luit, sic Spiritus Sanctus à pec-
cati sordibus nos purgare solet:
Tit. 3. v. 5. Ephes. 5. v. 26.

Neces-
sitas.

4. Quàm sit necessarium,
ita scilicet, ut, absque hoc ipso
spiritualis regenerationis bene-
ficio, nemo introire possit in
regnum Dei: *Matth. 18. v. 3. & 19.
v. 13, 14. Gal. 5. v. 19, 20, 21.*

Eandem ipsam regene-
rationis necessitatem jurejurā-
do verè-sancto confirmat Chri-
stus, ac pretioso, inquit: *Amen,
amen dico vobis. Joh. 14. v. 5. I. Petri.
2. v. 22.*

Pars III.

Ex genuino loci præsentis
sensu colligimus:

I. Chri-

CONCIONANDI. II

1. Christi, velut summi do-
ctoris nostri, doctrinam verè
salutarem esse: *Matth. 22. v. 16.*

*Didas-
scalia.*

2. Naturâ nos sic corruptos
esse, ut *nec* intelligamus ea, quæ
ipsius spiritus sunt, & ad salu-
tem pertinent æternam, *nec vo-*
luntatem Dei agnitam præstare
ex nobis queamus ipsis: *1. Cor.*
2. v. 14.

3. Perfecto equidem Chri-
sti, Legem pro-nobis perfectis-
simè implentis, merito, vitam
nos consequi æternam; ipsam
autem spiritualem hominis re-
generationem, salutare esse me-
dium, ac viam divinitus desti-
natam, sine quâ salus, per
Christum nobis parata, obtri-
neri nequeat. Hinc toleran-
tiæ, aliisque bonis operibus,
adscribi solet regnum cælo-
rum, nempe non ut *meritis,*

sed quà *semitis*. Act. 14. v. 22.

*Elen-
chus.* Imò disertè hinc refutantur,
hypocritæ, quorquot persuasi
sunt, se operum bonorum meri-
tis in regnum cœlorum ingres-
suros. Itâne hoc ipsum est, glo-
riam Spiritui sancto, gratiosè
nos regeneranti, tribuere debi-
tam?

*Corre-
ctio.* Porro patet hinc, graviter
eos peccare, qui in peccatis
perseverantes suis, nihilominùs
servari se posse putant: *Jesa. 28.*
v. 15.

*Institu-
tio.* Nos verò quotquot æter-
num servari volumus, operam
demus sedulam, ut evidentem
spiritualis regenerationis sen-
sum magis magisque experia-
mur, nobis in ipsis.

Spiritui Sancto nos regene-
ranti, monenti, docenti, ac du-
centi, morem geramus, ob-
se-

CONCIONANDI. 13
sequium præstemus debitum.

Baptismi, quo tale tantum-
que obsignatur beneficium, o-
bliviscamur nunquam.

Sed & solatium hinc ad nos *Conso-*
redit multiplex: *latio.*

1. Peccati originalis vitio,
adhuc nobis adhærenti, identi-
demque vexanti unumquemq;
nostrum, virtutem Spiritus San-
cti opponamus efficacem: *Rom.*
7.v.19. &c. Rom. 8.v.9. & seqq.

2. Adversus ærumnas vitæ
præsentis varias, futurus sola-
tio sit nobis introitus in regnū
Dei.

3. Ipsi, de salute, dubitatio-
ni, aut à Satana, aut à Mundo,
aut à Carne nobis suggestæ, &
sacrosanctum Christi juramen-
tum opponamus, & Spiritus
Sancti testimonium, & Baptis-
mi obsignationem.

14 DE METHODO

CON-
CLU-
SIO.

Sic igitur *vindicationem* præ-
fentis contextus, itemq; verum
& *sensum* habuimus & *usum*.

Exinde id potissimum ob-
servandum nobis, ut ductum ac
regimen Spiritus Sancti, nos
regenerantis, sequamur fide-
liter, diligenter, constanter.

Si modò cœleste aliquando
ingredi velimus regnum Dei.

Tu clementissime Deus eam
hîc nobis præsta gratiam, quam
& David olim à Te petiit *Psalms*.
51.12,13. & 143.v.10.

Methodus III.

I. **T**EXTUS prælecti
Sūma indicetur, per
analysin brevem logicam &
paraphrasticam.

II. Unus, aut alter, vel etiam
plures, *Loci communes Theologici*,
inprimis *Catechetici*, captui
au-

CONCIONANDI. IS
auditorum accommodati & in-
genio, ex Textu depromantur;
imò juxta circumstantias ipso-
rum, in Textu traditas, expli-
centur, tractentur.

EXEMPLUM.

TEXTUS: Tit. 3. v. 5. *Non ex
operibus nostris quæ fecerimus nos,
sed ex suâ misericordiâ servavit nos
per lavacrum regenerationis, &
renovationem Spiritus Sancti.*

SUMMA. Aliter corrupta
hominis ratio de nostrâ salute
pronuntiat æternâ; aliter Spi-
ritus Sanctus, in Literis loquês
sacris. *Illâ* quidem, ambitionis
ducta spiritu, opera jactat bona,
ac si illis æternam mereremur
vitam; *hic* verò, tanquam veri-
tatis Spiritus, aliam refert Salu-
tis nostræ causam, ipsam nimi-
rum Dei misericordiam, quam
quidem, in Christo nobis exhibi-
bitam

16 DE METHODO
bitam, ipsa Spiritus Sancti re-
novatio, Baptismo obsignata,
confirmat nobis.

DIVISIO secundum Lo-
cos Catecheticos. Monemur
itaque hoc loco, de causis Salu-
tis nostræ tum *veris*, tum *putati-
tis*. Quibus præmittenda Salu-
tis definitio ex *Jesa. 64. v. 4.*

I. DE VERIS
Salutis causis.

Author. *Causa efficiens princeps*, Deus
est, qui hominis interitu, quâ
tali, delectatur minimè: *Psal. 5.
vers. 5. Ezech. 33. vers. 11. 1. Tim. 2. v. 4.*

Impul- *Causa impellens προηγουμένη*, seu
siva. intus in DEO residens, est mi-
sericordia ipsius verè paterna
specialis.

Hic ostendendum:

I. Quid sit misericordia
Dei, quomodo item in genera-
lem

CONCIONANDI. 17

lem dividatur & *specialem*: quarum utraque, ex Systemate Theologico quopiam, definienda est.

2. Misericordiæ Dei haud repugnare ejusdem justitiam: eò quòd eidem Christus, loco nostro, satisfecerit.

Stat igitur ipsa Dei *miseri-*
cordia, tanquam Salutis nostræ causa, quatenus nobis Deus, pro Misericordiâ singulari suâ, Mediatorem dedit ac Servatorem. Stat ejusdem quoque *justi-*
tia, quatenus merito Christi accepta est ferenda salus nostra.

Causa promovens, seu *adjuvã*s, *Adju-*
est renovatio Spiritus Sancti: *vans.*
h.e. illud Spiritus Sancti, beneficium, quo is naturam hominis corruptam renovat, ac veluti regenerat, ut novus fiat homo.
Ex Compendiis Theologiæ,
fu-

18 DE METHODO
fusiùs describatur hoc-ipsam
Spiritus Sancti donum.

Obfi- Ejusdem beneficii, regene-
gnatio. rationis videlicet, obsignatio
quædam est Baptismus, qui *la-
vacrum*, duabus de causis, appel-
latur:

1. quia repræsentat nobis
purgationem animæ, à peccati
reatu, propter effusionem san-
guinis Christi: *1. Joh. 1. v. 7.*

Hinc *Lavacrum justificatio-
nis* appellari potest.

2. quoniam obsignat nobis
virtutem Spiritus Sancti, qui
sensim magis ac magis à pecca-
ti labe, sordibus ac vitio, ad-
huc nobis adhærente, nos pur-
gat.

Hinc *Lavacrum regeneratio-
nis* dicitur.

Consulatur hîc Locus Cõ-
munis de *Baptismo*, in Synta-
gmate

CONCIONANDI. 19
gmate Theologię quopiam, pię
expositus.

DE PUTATIVIS II.

Salutis nostrę Causis.

Multi putant, se operum suo- *Elen-*
rum meritis æternam consecu- *chus.*
turos vitam.

Atverò turpiter errant: quia
si per ipsam Dei servamur mise-
ricordiam, ut hætenus osten-
sum, nihil igitur nostra mere-
buntur opera. Vide Rom. 11. v. 6.

Objectio 1. *An non justa ali-* *Prole-*
quid, apud Deum, merebuntur ope- *phis:*
ra? Atqui ea sic, hoc in loco, appellat *I.*
Paulus, justa videlicet.

Resp. Si perfectè justa essent,
quoad perfectionem non modò
partium, sed & graduum: itemq; si
simul indebita essent, viribusq;
præstari possent propriis.

Objectio 2. *Qui justa facere* *2.*
pos-

possunt opera, iis. ipsis ipsi merebuntur aliquid. Atqui nos illud possumus: ut Paulus expressè docet, inquiens: *Quæ* (iusta scilicet opera) fecerimus nos.

Resp. 1. Conditionaliter loquitur Paulus, non simpliciter.

2. Si iustum opus aliquod fecerimus, non nostrum fuerit; sed Spiritus Sæcti opus.

Interim non negat Paulus, opera iusta, quatenus sunt regenerationis fructus aut specimina, quandam esse in cælum viam: quandoquidem secundùm illa, tanquam fidei quædam testimonia, in ultimo iudicabimur iudicio: *Matth. 25. v. 34 &c.*

CONCLUSIO.

Ergo de causis Salutis nostræ, sentiamus rectè, *falsas à veris* distinguentes.

Mise-

CONCIONANDI. 21

Misericordiae divinae, quae
in Christi lucet merito, eam ad-
scribamus.

In nostris haud confidentes
meritis.

Fidem interim nostram, ne
cuiquam suspecta videatur, ope-
ribus testatam faciamus bonis:

Fac. 2. v. 14 &c.

Methodus IV.

I. **P**RÆCIPUUS, ex
praelecto Textu, de-
promendus interdum usus, nu-
deque proponendus.

II. Idem-ipse, eodem ex Tex-
tu, postea demonstrandus: ipse-
que textus commodè tunc divi-
dendus, indicato priùs scopo
ejus.

E X E M P L U M.

Pro Concione exponendus
esto hic Pauli locus, existans
Rom.

22 DE METHODO

Rom. IO. V. 13. *Quisquis invocaverit
Nomen Domini, servabitur.*

*Propo-
nitur u-
sus.*

Quòd si mortalibus precum
explorata esset efficacia, perspe-
ctusq; usus multiplex, diligen-
tius sanè orarent omnes & fre-
quentius: quòd facit illud *Matth.*
26. v. 41. & Jacob. 5. v. 16.

*Demon-
stratur
ex Tex-
tu.*

Imò talis tantusque est piæ
precationis fructus, ut Paulus
hoc in loco, ex Joële Prophetâ,
eam, certissimum salutis conse-
quendæ statuatur medium: dicit
enim, *Omnes eum, qui invocave-
rit Nomen Domini, servatum iri.*

Scopus.

Quod ipsum piis mentibus,
apud Prophetam Joëlem, *cap. 2.*
v. 32. consolationis in modum,
proponitur, adversus tristissi-
ma quæque temporum ultimo-
rum signa. Similis locus extat
Matth. 24. v. 13.

Partitio.

Ut autem præsentem Pauli
lo-

CONCIONANDI. 23
locum, ex Prophetâ petitum di-
cto, cum aliquo & fructu per-
pendamus & ordine, hæc duo
potissimùm Christianæ doctri-
næ capita nunc videbimus:

I. Quid sit *servari*, *Selig*
werden.

2. Quónam, ad salutē per-
veniatur, *medio*.

DE DEFINITIONE. I.

Servari significat:

I. Æternam obtinere vi- *Beati-*
tam, seculo in altero, cælesti- *tudo:*
bus & æternis frui gaudiis, nūc
inexplicabilibus: *Jesa. 64. v. 4.*

1. Cor. 2. v. 9. 2. Cor. 12. v. 4.

Id. quod duobus fieri so- *Partis.*
let modis:

I. *Animâ in solâ*, per mor-
tem à corpore separatâ, inque
summum translata Cælum:
Luc. 16. v. 22, 25. & 23. v. 43. Apoc. 14.
v. 13.

2. *Toto*

24 DE METHODO

Totius.

2. *Toto in homine*, quoad corpus & animam, post resurrectionem, redintegrato, inque beatitudinis æternæ locum assumendo, tuncque apud Dominum mansuro semper: ut Paulus docet *1. Thess. 4. v. 17, 18. Matth. 25. v. 34, 46.*

Gustus.

II. Evidentem quendam cœlestis futuræ beatitudinis sensum, in hoc præsentis prægustare seculo: idque

Fides.

1. *Per fidem*: quâ certò persuasi sumus, salutem æternam, à Christo Servatore nostro, nobis partam esse: *Luc. 7. v. 50.*

Charitas.

2. *Per charitatem*, piumque desiderium, quo ipso sic adhæremus Deo, eodemque tanquam summo delectamur Bono, ac si revera jam & substantialiter in cœlum translati, fruermur illo: *Psal. 73. v. 25, 26.*

3. Per

CONCIONANDI. 25

3. Per *spem* verè-toleran- Spes.
tem, quâ indubitato exspectamus
manifestationem Salutis,
per Christum nobis reparatæ,
nulla curantes ærumnarum ob-
stacula, inq; divinis verè-veris
confidentes promissionibus :
Rom. 8. v. 24, 25.

Ergo *Servari* non tantum si-
gnificat, reipsâ jam salute uti-
frui, quod- ipsum futuri erit se-
culi; sed etiam eandem, hoc
præsenti in seculo, quadante-
nus prægustare.

Hinc patet, quo sit accipien-
dum sensu vulgare illud : *Ante
obitum beatus nemo.*

DE MEDIO. II.

Ipsum Salutis medium, hîc
traditum, si spectes, invocatio
est divini Nominis : sic enim
Apostolus, cum Propheta, ait :

b

Quisquis invocaverit nomen Domini, servabitur.

Simplex.

I. *Nomen Domini* quid hîc denotet, probè perpendendum. *Nomen* significat, hoc in loco, non externam Nominis divini formam, literis ac syllabis depictam aut expressam certis: idololatra namque foret, siquidem literas quis adoraret aut syllabas.

Quid igitur? Deum-ipsam denotat: qui unus est essentiâ; Personis trinus: *Deut. 6. v. 4. Matt. 3. v. 16, 17. & 28. v. 19. 1. Joh. 5. versic. 7.*

Cõplexum.

II. *Invocare nomen Domini*, significat

1. Divinum in ærumnis implorare solatium & auxiliũ: *Psal. 50. v. 15.*

2. Ipsas essentielles prædicare proprietates Dei: nominatim quidem misericordiam ipsius,

CONCIONANDI. 27

pius, justiciam, potentiam, sanctitatem: *Psal. 116. v. 13.*

III. Magna est, inter ipsos Deum invocantes, differentia: *differentia.*
nam

I. Quidam, hypocritarum *Hypocrita.*
more, invocant Nomen Domini, ex consuetudine potius vulgari, quàm vero pietatis zelo ducti: suam item quærentes gloriam, non Dei. *Matth. 7. v. 21. & 15. v. 8. Luc. 18. v. 10, 11, 12. Jesa. 1. v. 15.*

2. Alii autem sincerè Deū *Fideles.*
invocant ut par est, nempe

Humiliter, ex vero nimirum propriæ tum egestatis, tum indignitatis, sensu.

Ardenter, decentive cum pietatis zelo.

Fideliter, seu firmâ cum cordis fiduciâ, quæ de exauditione precum dubitat minimè.

Constanter, absq; intermissione, ut maximè non illicò votis satisfiat nostris.

Déque his-ipsis Nomen Domini rectè invocantibus, nunc est Sermo.

Anticipatio.

IV. Quàm verò mendicus, mendicando, ipsam haud, propriè loquendo, meretur eleemosynam: sic nec isti Deum invocantes, ipso invocationis actu, merentur quicquam. *Medium salutis, est, invocatio; non meritum.*

CONCLUSIO.

Post enumerationem partium duarum, hætenus expositarum, tandem, amplificationis loco, seria, ad serium precandi studium, subjungatur *exhortatio*: *Matth. 26. v. 41. 1. Petr. 5. v. 8. ipseq; precum & gratiæ imploretur Spiritus: Zach. 12. v. 10. Rom. 8. v. 26.*

Me-

Methodus V.

I. **T**EXTUS, qui explicandus venit, a-nalyfi Logicâ resolvatur brevi.

II. Singulæ deinceps proli-xiùs explicentur partes, mon-strato cujusque *sensu & usu.*

EXEMPLUM.

Matth. II. v. 19. *Justificata est sapientia à filiis suis.*

Ανάλυσις.

Analy-
fis.

Illustri hoc in Christi apoph-
thegmate, consideranda nobis
duo potissimùm:

I. Quid *Sapientia* nomine
intelligendum sit.

2. A quibus justificetur ipsa
hominibus.

Διέξοδος:

Expla-
natio.

Utramque exponens partem.

I.

Sapientia nomine intelligitur

Subje-
ctum.

b 3

30 DE METHODO
Evangelium, quo sapientissimum DEI, de salute nostrâ, per Christum promovendâ, nobis revelatur consilium. *Psalm. 19.v.8,9. Rom.11.v.33,34. 1.Cor.1.v.23,24.*

II.

Prædicatum. Sapiencia jam-dicta, à suis justificatur filiis. Ubi perpendendum:

Persona. I. Quinam sint filii Sapiencie, fideles nimirum homines, qui Evangelii doctrinâ spiritualiter regenerantur, aluntur, confirmantur, tanquam discipuli Sapiencie cœlestis, ad quam ipsam rectè addiscendam, studium adhibent serium atque constans: *1.Petr.1.v.23. 2.Tim.3.v.15.*

Appellantur aliàs *Filii lucis*, opponunturque *Filiis hujus seculi*: *Luc.16.v.8. Filiis item Belial*,
hoc

CONCIONANDI. 31

hoc est, nequitiae, quâ hi-ipsi
temerè quodvis excutere conã-
tur jugum: *Deut. 13. v. 13. 1. Sam. 10.*
v. 27.

II. Quomodo Sapientia à Actio.
Filiis *justificetur* suis: nempe

1. Dum Evangelii doctri-
nam verâ amplectuntur fide,
approbantque vero cum cordis
gaudio.

2. Quando pro illâ grâ-
tias agunt Deo: *Matth. 11. v. 25, 26.*

3. Quum eandem tempore
confitentur suo, atque loco:
Matth. 10. v. 32, 33. Ecclesiastis 3. v. 7.

4. Dum inculpatâ illam
confirmant vitâ: *Matth. 7. v. 6.*
Luc. 12. v. 37. Tit. 1. v. 16.

5. Quando eandem-ipsam,
Deo sic volente, per ipsum quo-
que tandem obsignant marty-
rium: *Matth. 10. v. 37. &c. Act. 21. v.*
13. Apoc. 7. v. 13. & seqq.

Methodus VI.

I. **I**PSA ipsius textus Summa, seu *πραγματεία* tota, per enuntiationem aliquam exprimaturs perspicuam.

II. Eadem ipsa enuntiatio, per distinctas deinceps explicetur quæstiones, circumstantiis ipsius Textus præcipuis accommodatas, indicato cujusq; sensu simul & usu: *sensu* quidem, ex ipsis *tum* parallelis Scripturæ locis, *tum* Compendii alicujus Theologici definitionibus, petito; *usu* autem vel didascalicæ applicato, vel redargutioni, vel correctioni, vel institutioni, vel consolationi.

EXEMPLUM.

2. Sam. 24. v. 14. *Dixit vero David ipsi Gado, angustia est mihi valde: incidamus queso in manum Jeho-*

CONCIONANDI. 33

Jehova: nam magna sunt miserationes ejus; in manum autem hominum ne cadam.

PARS PRIOR I.]

Methodi.

Etiam pii, ipsam nonnihil *Enun-*
exhorrescunt pestem, velut ca- *ciatio.*
stigationem seriam; eam autem
cum ipso conferentes Bello, à
Domino malunt percuti cle-
mentissimo, quàm ab inhumana-
nissimis trucidari hominibus. *d*
Seu brevius sic: Pestis equidem in
se considerata, ipsos quoq; pios
reddit anxios; cum ipsis autem
Belli difficultatibus comparata,
summo exoptatur desiderio.

PARS POSTERIOR. II.

Ut autem sententiam de pe- *Qua-*
ste belloque dictam, accuratius *stiones.*
nunc perpendamus, hoc præ-
sertim tam calamitoso, bellicis-

34 DE METHODO
que rumoribus repleto tempo-
re, sequentes ponderabimus
quæstiones:

1. Quid pestis, bellumque,
ut & fames, etiam in maximè-
piis efficiat, saltem denuncia-
ta, nempe angustiam, & quid
de hac ipsâ tenendum?

2. Eidem ut medendum sit
angustia? nempe per compa-
rationem duorum inæqualium
malorum, quorum est tolerabi-
lius unum altero, propter diver-
sa, authorum seu causarum ef-
ficientium, ingenia.

DE I.

Conces-
sio.

Etiam maximè pii, in hoc
Mundo, ἀπαθείς esse nequeunt:
nominatim autem magnam se-
pe sentiunt angustiam seu an-
gorem mentis; qui quidem, in
se consideratus, peccatum non
est: homines enim sumus: vi-
de

CONCIONANDI. 35

de Act. 14. v. 15. Jac. 5. v. 17. Confer
Matth. 26. v. 37. Joh. 11. v. 33.

Interim hæc talis reprehensionem incurrit angustia: *Limitatio.*

1. Siquidem ex poenæ denuntiatae metu oriatur potius, quàm ex ipsâ peccati poenitentiâ. Confer Jesa. 59. v. 1, 2. Levit. 26. v. 16, 25. 2. Cor. 7. v. 10. Jac. 4. v. 9.

2. Si modum excedat, divinæ oblita gratiæ meritiq̄ue Christi: Psalm. 42. v. 6, 12. 2. Cor. 4. v. 8, 9.

3. Si quis temerè conetur poenam effugere: vide Psalm. 139. v. 7-10.

DE II.

Angustiæ cordis dictæ, inter alia consolationum antidota, medendum per comparationem inæqualium poenarum, cogitandumq̄ue semper, *Comparatio.*

majorem nos meruisse pœnam.

Sic nominatim pestis tempore, cum Davide statuendum, satius esse, in manum *Jehovæ* incidere, quàm verò *hominum*.

*Manus
Dei.*

Quid'ni enim libenter incidamus in manum *Jehovæ*?

Improbi equidem infelices sunt, quum in *Jehovæ* manum incidunt. *Hebr. 10. v. 31. Fideles* autem felicissimi, hac in parte: *2. Sam. 12. vers. 15. 1. Cor. 11. v. 31, 32.*

Interim mirum non est, noluisse Davidem in manus *hominum* incidere: quippe qui plerunque sunt crudelissimi, ut omnium ætatum testantur bella: *Jesa. 1. v. 15.*

*Manus
hominū.*

Quòd si autem Deo visum fuerit justissimo, nos in crudelissimorum quoque *hominum* tradere manus admodum violentas, statuendum fuerit, illud-

lud-

CONCIONANDI. 37
Iud-ipsium propter multiplicem
fieri praevaricationem nostram:
Levit. 26. v. 25. Jud. 2. v. 13, 14. 1. Reg.
8. v. 33, 34.

Interim solatio sit nobis quod
habetur *Marc. 14. v. 41. Matth. 10.*
v. 28.

CONCLUSIO.

De piorum angustia, quid
statuendum sit, cognovimus,
ut & eidem medendum. Adda-
mus votum ex *Psal. 51. v. 12, 13, 14.*

F I N I S.





A P P E N D I X

Complectens specimen Con-
cionis Elencticae.

T E X T U S : Exod. 20. v. 4, 5, 6.

NON facies tibi sculptile,
neque ullam similitudi-
nem eorum quæ in cælo
sursum, neque eorum quæ
in terra deorsum, neque eorum quæ
in aquis subter terram sunt: non in-
curvabis te eis, neque coles ea &c.

Transi-
tio.

Quis verus ille Deus sit, qui
unus & solus nobis colendus
est, & adorandus, ex præceden-
te primo manifestum est præce-
pto. Ex secundo autem perci-
pimus, quomodo huic-ipsi vero
sit serviendum Deo, nempe se-
cun-

cundum placitum non nostrum
ipsorum; sed Dei potius.

Nos equidem, pro ipso corru- *Sūma.*
ptæ mentis iudicio, statuimus,
Deum, imaginibus repræsen-
tatum variis, colendum esse;
damnatis autem illis, spiritum
ac veritatem, hac in parte, re-
quirit DEUS. Vide *Johan. 4.*
v. 24.

Cæterum ita præsens expli- *THE-*
cabimus præceptum, ut inde *MA.*
manifestum fiat, quomodo cum
iis conferendum sit, qui putant,
imaginibus repræsentandum
esse Deum, & colendum. Quid
igitur? quo conferendum mo-
do?

I. Convitia utrinque & di- *Mode-*
cteria longè abjicienda: utrinq; *stia.*
inquam, juxta illud: *Matth. 7.*
v. 12.

II. Ταὶ διδόμεναι, utrique parti *Διδόμε-*
con- *ναι.*

conferentium communia, & confitenda sunt, & ad praxin referenda, priusquam ulla instituantur *συμβίβασις*: nempe

1. Unum utrinque nobis esse Deum, Deum inquam illum Israël, qui ex Ægypto populum eduxit suum.

2. Hunc-ipsam essentiã unum esse, personis trinum, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum.

3. Filium Dei esse verè *θεοῦ ἕνός*, unicã in personã.

4. Eiusdem merito nos cum Deo reconciliari.

5. Ipsum quoque intercedere nunc pro nobis, apud Patrem.

Hæc verò talia ad usum transferuntur practicum, quum utraque pars conferentium hũc unum Deum, ac Mediatorem, simul

simul semelque invocat, velut Colloquii, à Magistratu utrinque approbati, Præsidem verè *ναρ- διογνώσθην*; eâ quidem parte, quæ plures agnoscit intercessores, rogatâ, ut nunc illos intermittere velit, solo contenta Christo: juxta illud *1. Tim. 2. v. 5.*

III. Pars rectè sentiens, Expro- alteri, Deum per imagines co- bratio. lenti, modestè dicat: Vestris plurimum offendor imaginibus, quibus Deum repræsentatis atque colitis: quandoquidem, circa DEI cultum, omnis imaginum & *fabrica* simul & *cultus* expressè prohibetur, imò ipsum quoque interdictum divinâ & *comminatione* circumvallatum est, & *promissione*.

Divina nolite vilipendere *præcepta*, nedum præferre humanis unquam. *Matth. 15. v. 9.*

Com-

Comminationes, iisdem annexas, ne contemnatis gravissimas. *Hebr. 10. v. 31. & 12. v. 29.*

Promissiones saltem suavissimas, veris cultoribus DEI factas, apprehendite, vobisque applicate ipsis, veluti jucundum quoddam præservativum (ut loquuntur) adversus idololatriam.

Anticipatio.

IV. Si imaginum defensor prætendat, se nihil non bono facere, hac in parte, zelo, memoriæ videlicet adjuvandæ causâ, præsertim laicorum respectu, quibus, Librorum instar, sint imagines; respondendum est modestissimè, in hâc sententiâ: Id-ipsam verò est, quod hoc-ipso præcepto graviter interdicit Dominus, ne videlicet pro arbitrio Deum colamus nostro. Confer *Coloss. 2. v. 23.*

Porro

Porro quò is intelligat, judicium Dei, ut aliàs semper, sic & hac in parte, humano preferendum esse, monendus ille fuerit seriò simul & amanter, nempe imagines

1. *Insufficientes* esse, ad *Insufficiens.*
peragendum Dei cultum: *tum* quia Deus, tanquam invisibilis, depingi nequeat: *tum* quia sacris depingendis tot historiis, haud sufficientiant pictores.

2. *Non esse necessarias:* *Nonnecessariū.*
eò quòd *tum* fides ex auditu sit; non ex visu. *Rom. c. 10. v. 17.* *tum* in tenebris orantes, aut in itinere, commodè nihilominus adorare possint Deum, etsi imagines oculis intueantur suis nullas.

3. *Noxias* esse, verum *Noxiū.*
impediendo cultum Dei, dum videlicet artificium humanum, in

in illis conspicuum, sensus hominis tam internos, quàm externos, sic occupat, ut non parùm labefactetur zelus pietatis, circa cultum Dei verum, à nobis requisitus. Confer *1.Sam.16. v.7.*

Finitio.

V. Ut certus denique colloquiis hujusmodi figatur terminus, alter alterum, de hactenus-dictis rectè deinceps ponderandis, admonere debet; priusquàm autem à se invicem discedant,

1. Iterum conjunctim invocare Deum debent, eundemque simul celebrare, pro copiâ tam modestè conferendi ipsis concessâ, affectibusque ipsorum utrinque coërcitis.


2. Valedictionis loco, sibi invicè precari incrementum gratiæ divinæ atq; pacis, debent.

Mo-

Modò interim hypo-
critica, aut saltē Nicodemitica
veritatis dissimulatio absit om-
nis, conscientiam lædens pluri-
mum.

CONCLUSIO.

Conclusionis loco, adsperga-
tur votum, ex illis petitem for-
matumque verbis, quæ extant
Zach. 8. v. 16 & 19. Ubi jubemur
ὄ τῆ εἰρήνῃ ἀληθεύειν, ac vicissim
ὄ τῆ ἀληθείᾳ εἰρηνοῦειν.



APPENDIX ALIA:

DE PRAXI

Ministeriali.

Ministerialis Praxis, à Paulo innuitur,
quum ait: *Attendite vobis-ipsis &*
universo gregi, in quo vos Spiritus San-
ctus constituit Episcopos, ad pascendam Ec-
clesiam Dei, quam is proprio acquisivit
sanguine: Act. 20. v. 28.

SIBI-IPSI attendit, quotusquisque *Pastor.*
sequentes probè observat regulas.

I. Vo-



- Voca-
tio. 1. Vocationis sæpius, non absq; con-
solatione singulari, sis memor tuæ, di-
vinam in eâ perpendens providentiam,
quâ tibi divinitus, nihil tale cogitanti,
prospectum est.
- Studiũ. 2. Operam da sedulam, ut in Scri-
pturâ potens deprehendaris sacrâ, ipsâ
autem cum aliis conversatione huma-
nus, officiosus, inculpatus; cautus tamen
interea, circumspectus: secundum illud,
tibi cognitum ex *Matth. 10. v. 16.*
- Brevi-
tas. 3. Concionem meditando confi-
gnandoq; sacrâ, te ipsum pluralitate co-
piâve conceptum ne confundas nimiâ.
Ut enim (secundum tritum illud) *non
multa nobis legenda sunt; sed multum*: sic
multum quoque dicendum nobis; non
multa. Justa utiq; auditorum etiam ha-
benda ratio, ne plus, quàm capere pos-
sint, audiant.
- Prom-
titudo. 4. Si absque difficultate concionari
velis singulari, præsertim quoad ipsam
elocutionem partim, partim *memoriam*,
justum conceptibus tempus tribue, tam
consignandis perspicuè, quàm diligenter
sæpius *repetendis*. Eâ, quâ studendum,
die, nihil aliud agito: sic enim fiet, ut
nocturno evigilans tempore, singulos
præsentes seu obvios habeas conceptus
tuos, ac repetere possis suaviter.
- Gratia. 5. Decenti cum gravitare, suaviq;
gratiâ,

gratiâ, si concionari velis publicè, iustamque seu doctrinis applicare vocem, seu redargutionibus, seu correctionibus, seu institutionibus, seu consolationibus |, singula hæc talia privatim prius tibi-ipsi accommodabis domi tuæ, circa repetitionem conceptuum, vivâ non-nihil voce adhibitâ, teipsum docēs, redarguens, corrigens, instituens, consolans. *Wer ihme zuvor sein selbs prediget/ kan hernacher desto komlicher auch anderen predigen.* Studium hocce pium, ab extremis te, crede mihi, immunè reddet, *timiditate* videlicet *nimiâ & audaciâ*: præsertim si cuncta seu privatim, seu publicè peragas, tanquam in ipsissimo cōspectu DEI, tuam non quærens gloriâ, sed Dei potius, nec tam salutem tuam, quàm auditorum. Qui non posset animosus simul esse & modestus, qui coram Deo sic ambulat statque, sedetque semper suo?

GREGI rectè attenditur, si nō tantum *publicè*, sed & *privatim* pascatur ille. *Grex.*

Publicè is pascitur, secundum illud: I.
Prædica sermonem, in sta tempestivè, in-tempestivè: argue, objurga, exhortare, cum omni lenitate & doctrinâ: 2. Tim. 4. v. 2.

Privatim quoque quærendæ sunt 2.
errantes oviculæ. Si quis ex auditorum tuorum sit numero, malè audiens, seu suspe-


suspectus, unius vel alterius sceleris nomine, ne gravéris ipsum accedere, seriâ cum protestatione, te unicè favere ipsi, nec celare ipsum posse amplius, quàm tristis de ipso spargatur rumor, ac proinde te venisse nunc monitum, præmonitum, rogatumque, rumori dicto mæderi velit ipse, rem tempestivè emendando suam, &c. Hoc tali stylo, agendi que modo, Paulus ipse usus est, ut patet ex Actor. 20. v. 31. *Vigilate, memores, me per triennium, nocte dieque, non cessasse cum lachrymis monere unumquemque.*


Utrâque hac appendice, quam vacuæ quædam futuræ alioqui nunc extorserunt paginæ, tu, amice Lector, si placet, utere-fruere.


Plura forsan aliàs, si volet DEUS.


F I N I S.











ULB Halle


3

007 375 271



56

VD 17





JOHAN-GEORGI GROSSI²
S. Theol. D.

DE METHODO
CONCIONANDI:

Brevis,
Ad studiosam Juventutem,
Commonefactio.

BASILEÆ,
Typis JOAN. JACOBI GENATHI.
1629.

